

omnibus sanctis, quod tunc tradet Deus inimicos in eorum manibus, ut unusquisque de inimico suo ultionem plenam perfectamque sumat. Tunc, inquit S. Augustinus, stabit Naboth justus contra Achab regem impium, qui vineam et vitam ei abstulit; tunc stabit Joannes contra Herodem, qui eum decollavit; Petrus et Paulus contra impium Neronem, à quo tot modis angustiat fuerunt; tunc justus contra peccatores, Christiani contra Paganos, etc. Tunc illud erit quod dixit Isaias, cap. 44, 2: *Erunt capientes eos qui se ceperant, et subicient exactores suos.*

Ex his explicari potest illud, quod Joannes vidit, animas interfectorum propter Verbum Dei, Apoc. 6, 40: *Et clamabant voce magna, dicentes: Usquequò, Domine, sanctus et verus, non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et dicitur esse illis, ut requiescant adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum;* quasi dicat: Qui fieri potest, ut cum tu sanctus sis et justus, non facias vindictam sumi de iis qui nos occiderunt? Expectate, inquit, modicum tempus, eo modo quo dixit patrumfamilias de zizanias, quando servi clamabant, petentes ut eradicerentur: *Sitine usque ad messem. Propereca diem judicii vocat ille excellens concionator tempus omnis rei, Eccl. 5, 17.* Supponit primo quod omnia tempus habent, et quod tunc res bene fit, quando oportuno tempore fit. Qui enim seminare vellet in aestate, et metere in hieme, omnia perverteret. Supponit secundò se vidisse in mundo magnam *ἀναστασι* seu inordinationem, et quod non sunt relinquenda res inordinatae, sed ad ordinem aliquando reducenda. Et, quando illud? In die judicii, tunc erit tempus omnis rei. In cap. 5, Bonaventura in cap. 5, Ecclesiaste, nomine omnis rei intelligit hominem; secutus B. Gregorium, homilia 29 in Evangelia. Ceterum in Hebraeo habetur nomen *צִפְתִּים* *chephets*, quod significat voluntatem, desiderium et affectum; quasi dicat: Tunc erit tempus quo omnis voluntas, desiderium et appetitus justus erga inimicum expleatur; tunc libera dimittetur voluntas, ut eum odio habeat; tunc libera erit facultas, ut vindictam de illo sumat; quando voluntas illa erit recta, ut non sit periculum odio habendi aliquid, quod amandum potius erat, aut majori quam justum sit odio excedendi, inimicum prosequendo; aut puniendo id quod justè puniendum non sit. Quid possit amplius desiderari? Certè egregiè satisfecit Abraham Saræ, cum Agar ancilla ejus ipsam offenderat: *Ecce, inquit Abrahama, Gen. 16, 6, in manu tua est, utere eà ut libet.* Hoc dicit justo Deus de inimicis qui ipsam offenderunt, nec plene hic satisfecerint.

Justi itaque lætatur cum viderint vindictam, non quod interitum impiorum gaudeant, sed quod laus divinæ justitiæ clarescat; quod insontes à tyrannorum impetu liberentur; quod Deus proterat hostes suos; quod cunctus Dei, quem impii delere conantur, amplificetur. Rectè scriptum est in Psalmo 106: *Videbunt justi, et lætabuntur, et omnis iniquitas opprobriabit eis sumam.* Deo nimirum impios peccante pii recreantur,

roborantur, ad persequeandam religionis viam inflammantur; impii verò superstites attoniti et exterriti conticescunt, neque tam licenter grassantur.

Illud porrò: *Imocens subannabit eos,* ad victoriam pietatis pertinet, ut qui piè dixit, vicis impis insultet, et se nefarie habitum derisit demonstrat; quod in supremo ac universali judicio elucescet. Interim tamen ut, dum vivimus, istiusmodi Dei judicium bene contemplerur, et ex iis fructum aliquem capiamus, nos omnibus perturbationibus carnalibus purgatos esse convenit, non duci vindictæ appetitum, non moveri perturbationibus immodicis, sicut solemus; hæc omnia in nobis corrigi oportet, nosque habere puros oculos, ut bene quæ Deus facit intueamur. Quando ita affecti fuerimus, tunc sine ulla crudelitate improbos poterimus irridere, si Deus illos perdat. Ut sanè nobis approbata sunt judicia Dei, et illis approbandis nos etiam lætari convenit, quoniam per ea salus nostra promovetur, Deusque amorem, quo nos prosequitur, declarat. Discamus itaque nobis, quando Deus improbos punit, gaudii materiam adferri, idque geminà de causâ, tum quia hoc pacto Deus se judicem esse probat, et ex ejusmodi iudiciis gloria et majestas ejus elucescit, ut inde possit glorificari, quo nos lætari oportet; tum quia etiam Deus ostendit se nostri tanquam florum curam gerere, quando hostes nostros, eosque qui nos vexantur, et contumelias affecerunt, punit; qui ratione confirmat amorem suum quo probos et fideles prosequitur, quæ est altera gaudii causa. Sed interim, ut dixi, nos omni vindictæ appetitu et omni malitiæ vaeus et liberis esse oportet. Denique cum omnia, quæ sunt carnis nostræ, deposuerimus, et spiritus Dei nos regat, zelum rectum et purum habebimus; eò ut improborum perditione gaudeamus, et ex iudicis Dei utilitatem capiamus.

Ceterum Hebræi versiculum hunc singulariter ferri putant ad Noe et filios ejus, qui, cum aquæ inundarent, irridebant eos, à quibus fuerant irriti, dum arca ædificaretur. In iis carè qui diluvio perierunt, uti et in Sodomorum et Gomorrhæ incolis habemus summæ et extremæ vindictæ testimonium, quodque nullus miseris illis penitentia lætis fuerit, utpote qui se misericordiâ indignos reddiderunt. De illis igitur et aliis similibus licebit nobis lætari.

VERS. 20. — NONNE SUCCISA EST ERRECTIO FORUM, ET RELIQUIAS EORUM DEVORAVIT IGNIS? Iterum repetit quod ante dixerat, nempe fundamentum impij vel impijium à fundamentis evertendum, ita ut antiquæ felicitatis et gloriæ nullæ supersint reliquæ. Quiddam enim impiis subsidio esse aut ornatu potuit, id tamen ab ultore Deo ita vastabitur, ut celestis quoddam et dirum incendium illæ debacchatum esse videatur. Erectio autem hoc loco passivè sumi potest et activè; si activè sumas, erit quod impiorum forum sustentat et erigit, quales sunt divitiæ et opes, gratia et favor, et quodcumque aliud est humane dignitatis et commoditatis ornatum; si passivè, sublimitas ipsa, quæ sustentatur et erigitur. Sumitur, opti-

nor, ab arbore metaphora, in qua radix est, quæ totam arboris luxuriam ambitionemque sustentat; quæ si succidatur, necesse est marcescat et percat totius arboris venustas et fructus; quæ verò quod ex stirpe pullulat, et sursum attollitur, splendet maxime exstatque sublimius, si illud excidatur, aliquid tantum manet invenustum, horridum, sepultum in terrâ; et si speciem intueare, nihil ab arido differt et mortuo. Hæc similitudo in hoc Jobi libro sæpius occurrit, quæ nomine ligni, arboris, radicis, rami, variam hominum fortunam significat. Ita Sanctius noster.

Hebræi priorem hujus versiculi partem de justis sic efferunt: *Si substantia nostra non fuerit succisa, ad oppositionem impiorum, de quibus additur: Et residuum eorum devoravit ignis.* Sic ut hic justi comparentur cum improbis, et fideles cum contemptoribus Dei. Est autem in Hebræo verbum *nicchad*, à radice *cachad*, quod propriè significat abscondere aut occultare, et secundum loquendi modum Hebræis familiarem, majorem infert affirmationem, quasi decretur: Imò hoc certum est, substantiam nostram esse absconditam; ut sit sensus, justorum substantiam, licet hic succidatur et recesserit, non tamen omnino esse perditam, sed potius instar thesauri absconditam, et in tuto collocatam esse. Quomodo enim in medio toto periculo, quibus undique cingimur, stamus tamen et conservamur, nisi quia substantia nostra et status noster, hoc est, facultas et vis nos tuendi et conservandi abscondita est in Deo? Illud autem quod improbis superest, *devoravit ignis*, id est: Deus nihil illis proorsis relinquit, ita ut ipsos cum omnibus suis bonis exterminari oporteat. De quibus eodem sensu Psalmista canit, Psal. 56, 58: *Reliquie impiorum interibunt; salus autem iustorum à Domino, et protector eorum in tempore tribulationis.* Quòd autem hic de igne impiorum reliquias devorante dicitur, nonnulli hebraizantes referunt ad incendium Pentapoleos, uti superius id quod, versu 16, de fluvio dictum est, ad poenam diluviij restringunt. Verum cum D. Thomà sentio latius hic ignem accipi pro punitione, ita ut significet divinam ultionem et quodvis ejus instrumentum, sicut dixi de fluvio ad versum 16. Ex hæc ergo punitione ducit Eliphaz argumentum, quo poenitentiam Jobo persuadecat, dicens:

VERS. 21. — ACQUESCE IGITUR EI, ET HABETO PACEM; ET PER HEC HABEBIS FRUCTUS OPTIMOS. Inter interpretes magna est hic diversitas lectionum propter amplissimum significationem verbi originalis *sacan*, quod hebraizantes omnes passim vertunt per *prodesse, juvare, aut conducere.* Rabbi Moyses hoc loco reddit: *Proface cum Deo;* Hebræus apud Cajetanum: *Fac prodesse cum Deo, q. d.:* Tu tibi Deum acerbum et infensum reddidisti, poteris nunc tuâ penitentia efflicere placatum, utilem et salutarem, qui tibi minime nocet, qui maxime prosit. Pagninus, Vatablus et Regia reddunt: *Assesce cum eo*, id est, familiarem te illi exhibe, jugum ejus suscipe, ministerium ei impende. Septuaginta vertunt: *Esto utique durus*, id est, constans, patiens, tolerans; ne te mollem per impa-

tientiam exhibe, sed laboris patientissimum, et adversus miseriarum stimulos obduratum. Quòd enim durities hic in bonam et non in malam partem intelligenda sit, sequentia declarant: *Si sustineris, deinde fractus tuus erit in bonis.* Sic igitur hortatur Eliphaz Jobum: *Acquesce igitur ei, sen, ut Tigurina vertit, accomoda te illi, parem cum illo ini voluntatum et consiliorum societatem, fidem ac utilitem te illi prebe ministrum et servum, si non illius gratia (nam quæcumque fecerimus servi tandem sumus nostro hero inutiles, at tui lucrì et utilitatis. Relinque in manibus Dei tui tua et te, committe et offer Deo te, et resigna te plene in manibus ejus, ut de te ac de rebus tuis faciat ut placitum fuerit in oculis suis.*

ET HABETO PACEM, scilicet cum Deo, proximo et temetipso. Pax enim est voluntatis affectus, quo subjicimur Deo, et in eo quod bonum est consentimus hominibus, et voluntates ac appetitiones nostras in uno virtutis desiderio conjungimus. Itaque hæc plena erit pacis definitio: *Pax est quedam ordinata animi concordia cum Deo, cum seipso et cum proximo.* De primâ pace cum Deo, quæ efficitur filii Dei et amici, dixit Apostolus, Ephes. 2, 14: *Ipsa est pax nostra, qui fecit utraque unum;* et: *Justificati ex fide (operante per charitatem) pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* De alterâ pace cum seipso loquitur Isaias, cap. 52, 17: *Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in scripturarum; et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* De tertiâ pace cum proximo ait Christus apud S. Marcum, cap. 9, 50: *Pacem habete inter vos;* et Apostolus ad Romanos, cap. 12, 18: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes;* et ad Ephesios, cap. 4, 5: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Continet ergo pax hæc primò amicitiam cum Deo, secundò tranquillitatem animi et serenitatem in tentationibus et persecutionibus, tertio mutam inter ipsosmet concordiam. Hæc pax homines facit fortes in omni periculo, et in omni molestia adhibet consolationem.

Pacem hanc Dominus discipulis suis reliquit dicens, Joan. 14: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Non divitiarum aut temporales possessiones suis reliquit, sed pacem, quæ super omnes divitias hujus sæculi eminet, et, ut Apostolus ait, Philipp. 4, *exsuperat omnem sensum.* Magnum igitur et singulare suum reliquit Dominus solatum, et quo multum indagebat in hoc sæculo victuri. Verbum autem *relinquo* hereditatem indicat, ut S. Cyprianus libro de Unitate Ecclesiæ exponit. Hujus pacis elogia quàm optime describit B. Laurentius Justinianus in Ligno vite, titulo de Patientia, cap. 1: *Magnum, inquit, pacis est bonum.* Est namque pax securitatis mentis, tranquillitatis animi, simplicitatis cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc simulationis tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accipit teneat, qui perdidit exquirat, quoniam qui in

«cā non erit, à Deo alienus efficitur; nec ad hæreditatem Domini poterit pervenire, qui bonum pacis non studuerit possidere.» Actiones autem pacis noster Alvarez de Paz, tom. 2, lib. 3, partis 4, cap. 5, § 5, quatuordecim assignat.

ii. Divinis præceptis se subijcere, jussa et inspirationes Dei sequi, et proprium arbitrium secundum beneplacitum divinum inflectere.

iii. In prosperis et adversis Dei voluntati consentire, et nec sensu nec voluntate ab ejus voluntate discedere.

iiii. Peccata quæ sunt semina discordiæ inter Deum et hominem fugere, et pro posse sanctissimis Christi moribus assimilari.

v. Idem cum omnibus sapere, idem dicere, id est, in his quæ decent et bona sunt, eundem sensum (quoad ejus fieri poterit), idem iudicium habere, et de rebus non aliter quam prudentes loqui.

vi. Fratribus, quibuscum vivimus, conformari in cibo, potu et somno, in vestibus, moribus et operibus quæ nec legi Dei, nec arreptæ professioni repugnent.

vii. Ita sanctè et circumspectè vivere, ut nullus de nobis querelam habeat, nullus justam ex nostris dicitis aut factis causam perturbationis accipiat.

viii. Carnem legi Dei repugnantem et bella cientem spiritui subijcere.

ix. Sensus, usus membrorum, et interiora atque exteriora opera ex usu rationis disponere.

x. Cogitationes, affectiones, voluntates et intentiones secundum præceptum virtutis moderari.

xi. Nosmetipsos discutere et considerare, et aliorum dicta aut facta quæ ad nos non pertinent tanquam infortia et noxia relinquere.

xii. Radices omnis perturbationis, scilicet propriam voluntatem, spiritum libertatis et placendi desiderium evellere.

xiii. Zizania, quæ sine damno tritici eradicari non possunt, patienter usque ad tempus messissionis tolerare.

xiiii. Bona nullo præcepto nullavè lege debita provitandò fratrum scandalo usque ad tempus intermittere.

xv. Animi nostri tranquillitatem ex aliorum dictis aut factis nequaquam pendente habere. Hæc quisque observaverit, uberrimos profectò fructus pacis percipiet. Quà verò ratione pax hæc obtinenda sit, disertè docet, dicens :

VERS. 22. — *SUSCIPERE EX ORE ILLIUS LEGEM, ET PONE SERMONES EJUS IN CORDE TUO* (1). Per legem hic non solum Dei præcepta, sed institutionem et doctrinam morum universam intelligit, quæ Deus nos suam vo-

(1) Alioqui pergit Eliphaz Jobum oculi impium, et hominem qui leges providentiæ parùm veneratur, Deo nihil credat. *Lex*, de quâ hic, ipsa erat Mosaisca, si Rabbini audias; vel ex aliis, lex naturalis, regula morum, animo impressa, et officia quæ appendices sunt naturales fidei, exhibentibus Deum infinitè bonum, sapientem, justum, cui proinde obedientia, amor, cultus, debentur. Septuaginta: *Excipe ex ore illius iustiones*, seu verba ejus, voluntatis illius interpretationem. (Calmet.)

luntatem et totius vite informandæ rationem docet. Atque hoc modo tota Scriptura sacra lex dici potest, quomodo S. Gregorius Nyssenus, Præfatione in Cantica exponit, dicens: (Spiritalis legis nomen comprehendit etiam historicas narrationes, adeò ut universa à Deo inspirata Scriptura sit lex ipsam legunt, non solum per præcepta, sed etiam per historiam erudiens et ad cognitionem mysteriorum et sinceram vitæ institutionem.) Hæc scilicet *lex Domini immaculata convertens animas* (ut David canit, Psal. 18, 8), et *supientiam præstans parvulis*, reficit, recreat, et tranquillat animam, et cordis sitim famelicæ extruciantem restinguit. Sic igitur Jobo ærumoso et misero præcipit Eliphaz legem ex Dei ore suscipere, ut animam jam deficientem recuperet, et absentem convertere ac recreare possit, et incredulibilibus malis commotam et agitatam tranquillitate ac pace reficiat, sicut de viro justo scriptum est, Psal. 4, 2: *In lege Domini voluntas ejus*, quod propriè ex Hebræo legitur, *voluptas ejus*. Nam ex legis disciplinæ et observatione omnem animi voluptatem et gaudium comparabit. Ita Pineda noster.

PONE SERMONES EJUS IN CORDE TUO. Proprius enim sermonum et præceptorum divinarum locus est cor, arcæ nimirum tanto thesauri digna, in quâ etiam David legem Dei reponendam censuit dicens, Psal. 59, 9: *Facere voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei*. Ubi in Græco est, *ventris*, Symmachus vertit, *intra viscera mea*. Vide ubi legem Dei propheta ponat, nempe in medio cordis, scilicet ubi sedes est vitæ; quia oportet Dei jussa animare, id est, opere implere, alioquin mortua manent. Vel idè in medio cordis eam se habere affirmat, ut ostendat se ab ipsâ non secis atque à corde, quod vitæ principium est, vivendi initium vitæque ipsam indesineret haurire, unumque hoc in votis habere, ut Dei jussis obtemperet. Secundum aliam verò lectionem, quæ habet, *in medio ventris mei*, manifestè innuit eam sibi pro cibo esse, quod ad veram vitam aleretur, et ipsius essentia inter humanas varietates ac vanitates subsisteret. Cæterum cum in ventre quoque fetus animetur et augmentum capiant, significat se animas et foveisse jussu Dei, et apto tempore in opus ac lucem prodixisse.

Allegoricè autem os Domini vocatur sacerdos, de quo pius vates ita canit, Malach. 2, 7: *Et legem requirunt ex ore ejus*. Os undè oracula pronuntiat et Sibyllæ antro dignius, et Dodonææ quæru vocatus, et Castaliis undis certius, et quo velut à tripode atque lauro homines pendunt magna et mirifica aucturi. Os illud angustum est delubrum, in quo lingua ut illustre Numinis donarium consecrata est; donarium longè pretiosius et cubito Ægyptiorum, et mysticè vanno Græcorum et Palladio Romanorum. Os, inquam, adytum sacrosanctum, unde velut è regali throno Apocalypseos procedunt fulgura, et voces, et tonitrua, et lampades ignis ardentis, vel ad terrendos impios resonanti murmure communions ad sanctissimum Numen venerandum, vel ad pios inflammandos

inexplicabilem bonorum cupiditate, quæ pollicetur Deus. Os divina cordis apotheca, unde egregiæ merces ad beandum hominum genus fundantur. Os mirandum phrontisterium, exedraque erudita, quæ ebullit sapientias et encyclopediam salutarem. Os denique divine legis cella penuraria est, è quâ salutis æternæ vinum depromitur.

In mysteriis antiquæ legis, quibus mores et sanctionia ut celesti penicillo adumbrabantur, inter eas partes victimarum, quæ divino instituto ad sacerdotem atinebant, erat maxilla, quasi *sermonis primitiæ*, ait Philo, lib. de Sacerdotibus honorandis; ut intelligamus ecclesiasticorum omnium os Deo sacrum et quasi proprium esse oportere. Hinc qui sine fæce Christi pasci gregem jure vocatus legitur os Domini, ait S. Pater Antiochus, hom. 112, quò refert illud Jeremiæ, cap. 15, 19: *Si eduxeris pretiosum à vili, quasi os meum eris*. Par Magni Basilii elogium est, qui, hom. in Psal. 44, præcones Evangelii monet in arcano sermone dici *labia Christi*. Cur enim verò ita nominantur? An quia sunt questores velut candidati summi principis, qui ut illi quondam imperatorum sententiam in curiâ, sic Domini universitatis oracula mundo pronuntiant? An labia Christi, quò Servatoris os atque linguam imitentur, et quantum fas piusque est, perfectè representent? Christus enim habuit verba vitæ æternæ, ut theologia Coryphæus ait Petrus; unde os ejus S. Gregorius Nyssenus, hom. 1 in Cantica, vocat, *fontem vitæ*, è quo sacri homines debent bibere. Id cupiebat Sponsa in Canticis: *Osculetur me osculo oris sui*; et se consecutum Regius vates exultat, Psal. 118, 151: *Os meum aperui, et attraxi spiritum*. Est enim osculum Filii Dei, ut ait doctus ille præsul, *sordium expurgatio*, divini Spiritus delibatio. Cùm verò sacerdotes tam sæpè ex eodem nitido et argenteo fonte hauriant, et venam illam vitæ osculentur, non est mirum, si colorem et vivam quandam effigiem adeò imitatione ducant, ut labia Christi habere videantur. Quod illustre oris decus in B. Augustino D. Paulinus eximie predicat, cùm in hunc modum ad illum scribit: Os tuum fistulam aquæ vivæ et venam fontis æterni meritè dixerim, quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est. Sed aliam rationem à S. Gregorio Nazianzeno capiamus, qui, orat. 8, ait se esse *organum divinum*, quod à præclaro artifice, hoc est, à Spiritu sancto, ad celestem harmoniam accommodetur, et pulsetur; jungit paulò post: *ad mentis, Verbi et Spiritus arbitrium vel januam meam claudo, vel aperio*. Quæ regula divinissima est, et planè aurea promendi sermonis; et significat magnum et incomparabilem illum pontificem verè fuisse os Domini et labium Christi, cujus tantum natu et imperio, ore et labiis utatur, et ad illius tactum ut testudo gemmea resonabat. Hæc et alia hujus argumenti plura vide apud Cresollum nostrum, lib. 4 Mystagogi, cap. 26, ubi docet quales in sermone esse conveniant initiatos.

Cùm itaque, ut ostensum est, juxta Malachiæ oraculum, cap. 2, 7: *Labia sacerdotis custodient scientiam,*

optimè sequitur: *Et legem requirunt ex ore ejus*. Quare sermones ejus tanquam (cujus verè sunt) Dei, in medio cordis ac ventris reponendi, ut æternæ vitæ fructum faciant. Id quod D. Ambrosius in Psal. 59, eleganter expendens: *Idèò*, inquit, aliè habent in medio cordis, alii in medio ventris, ut interioris hominis ventrem intelligas, qui in medio esse cordis accipitur, in quo naturalis legis præscripta servamus; quæ non solum custoditur, sed etiam fit in cordibus nostris. Ubi expendit illa verba: *In quo naturalis legis præscripta servamus.* Dicimur enim habere legem Dei in medio cordis, quando ita mandata ejus amamus, ut quamvis nulla nobis præscripta essent, nec ullo metu terremur, aut præmio alliceremur, nihilominus ad amissum illa servavimus. Pulchre item dixit: *Quæ non solum custoditur, sed etiam fit.* Etenim illa quæ in arcâ custodimus, eadem inde prout insceruimus sine ullo incremento extrahimus; sed hoc quod mulier ventrem concipit non modò custodit, sed usque ad partum majus in dies accipit incrementum. Ita et nos non modò servare debemus verbum Dei, sed ejus quoque fructum facere, ipsunquæ cum fenore majori cumulo reddere.

VERS. 25. — *SI REVERSES FUERIS AD OMNIPOTENTEM ÆDIFICABERIS, ET LONGÆ FACIES INQUIETATEM A TABERNACULO TUO*. Sub eâ voce *ædificaberis* prosperitatem omnem temporalem Eliphaz complexus est. Hæc enim est pollicatio repetita, si Jobus ad meliorem, ut opinabatur, mentem rediret. Illud verò: *Et longæ facies inquietatem*, ad culpam et penam pertinere videtur.

Cæterum ad hanc perfectam cum Deo conciliationem necesse omninò est ut quædam removamus, asciscamus verò alia. Deo enim, qui summa est bonitas et sanctimonia, nihil contrarium est magis atque inimicum quam improbitas, et malum facinus, et nequitia odiosa. Ubicumque fuerit putens animus, maculosa conscientia, impurata voluntas, pax ibi cum Deo nulla esse potest. In tam contrariis inimicitie exardescunt; scelus ipsum ut præposterus et insanus facialis bellum denuntiat. Removenda est igitur inprimis animi labes atque turpitude, ne offensus Deus exaccat ut fulgur gladium sumum, et animam peccatricem et belligerantem cruentet. Concilianda est illius amicitia, quæ gratiam inducat proxenetarum felicissimæ et amabilissimæ pacis, quæ mortalium exitium bonum est et celi donum. Adjungenda est deinde voluntas fidelissimæque conatus ad Dei voluntatem, in cujus servitute mori debemus, et in omni vitâ imperiis illius sanctissimis obedire. Hæc regio est pacis, in quâ Deus invenitur; hæc cum summo et inexplicabili bono animæ conjunctio; inde felix aureaque beati ævi tranquillitas in interioris animi politia exoritur. Quò spectat illud Davidis, Psal. 118, 165: *Pax multa diligentibus legem tuam*. Qui legem illam et justissimum Numinis voluntatem oppugnant, tametsi rerum omnium abundantissimâ copiâ circumfluere videantur, non frumtur ullâ verò solidâque animi tranquillitate; quorum capiti non ut Damon,

tyranni Siculi purpurato, nescio quis è ferro gladius, sed horribile Deum fulmen imminet. Justorum proprium est illud bonum, qui tota mente et devoti animi conatu ad amandum honorandumque Deum feruntur, et ad nutum sese illius accommodant.

Colligimus igitur ex dictis quas sit hoc loco Eliphaz mens, ut nimirum Jobus eò magis incitetur ad revertendum ad Deum, postquam hanc spem conceperit, se frustra ad ipsum non venturum, neque spe suâ frustratum iri, cum perfecto corde Deum quaeret, quia is semper paratus sit ad condonanda nobis peccata, quoties ad illum confugerimus. In eo tamen ab Eliphazo semper modus exceditur, quòd existimet Deum omnes quos diligit in hoc mundo equaliter felices reddere; ideòque putet Jobum affligi, quòd inimicus et exosus sit Deo. In quo certè Eliphaz gravissimè hallucinatur, cum certum sit Deum non rarò suos affligere, ut ipsorum patientiam probet, illosque multis miseris obnoxios reddere, ut virtutem exerceat, quæ in infirmitate perfititur, nec propterea tamen minùs illos diligit. Non est igitur quòd fallant se et decipiant homines, fingentes sibi Deum tunc, cum propitius erit, leta et prospera omnia ex voto animi missurum; vulgò tamen utiliter persuasimus, quòd quemadmodum res adversè ut plurimum sunt flagella Dei, quibus is castigat nostra peccata, sic contra, cum nos in gratiam suscepit, per veram penitentiam conversos ab eo ita leniter tractandos, ut nos, quantum expediet salutis nostræ, prospero rerum statu uti permisurus sit. Utin sit, vera est hæc doctrina et valde utilis, quòd, cum ad Deum revertemur, inquitur proci ad nobis fugibatur, et hoc pacto res nostræ cursum prosperum sibi habitura. Pergit porò Eliphaz terrenis more suo promissis Jobi animum exacerbare potius quam mulcere dicens:

VERS. 24. — DABIT PRO TERRA SILICEM, ET PRO SILICE TORRENTES AUREOS. Afluentissima rerum omnium abundantia describitur; dabit, inquit, Deus pro terrâ silicem, quod metaphoricè quidem idem est ac pro infirmitate robur. Theologi verò Hebræorum per silicem intelligunt aurum, sive auri masses, quarum erit tanta copia et multitudo, ut terræ pulverem æquare videantur. Quæ heroica est amplificatio summæ beatissimæque fortunæ et aureæ felicitatis. Addit: Et pro silice torrentes aureos; Symmachus ita vertit: Ponet in silice (sive rupe) quasi rivus auri primum; et Vatablus in hunc modum illustrat: Habebis tantum auri, ut æquare possis montem, unde oriuntur multa flumina. Tante videlicet opes à Deo tibi obveniunt, ut ingentem domi rupem sive montem habere videaris, unde scaturiant venæ auri ophireæ, non minutis rivulis, sed torrentibus abundantissimè fluentibus. Hinc montes aureos polliceri, quòd inter homines de re vanissimâ et cupidorum somniis dicitur, apud Deum autem est veritas et reglâ erga suos magnificentia. Quare sequenti versu mox adjungit: Et argentum concervabitur tibi; ubi concervari est in cumulis attolli magnos, sive montes, qui sensus fuit

Rabbi Mosi, cum ita vertit: Argentum tibi tanquam montes. Promittit igitur montes aureos atque argenteos, ut in dubiis pretiosissimis rebus, quæ sunt velut præcipua duo elementa humane felicitatis, intelligamus piorum hominum beneficentiam et virtutem inauditis et quæ superant omnem cogitationem bonis à Deo compensari.

VERS. 25. — ERITQUE OMNIPOTENS CONTRA HOSTES TOS, ET ARGENTUM CONCERVABITUR TIBI. Magna in his verbis varietas translationum reperitur, quæ eruditè adducit et expendit noster Pineda. Cajetanus excribit: Erit Sadaï in thesauros tuos. Quid est in thesauros tuos? An omnipotens erit erga thesauros, aut potius adversus thesauros tuos? Vatablus legit: Aurum tuum erit Omnipotens. O vitiarum olim et nunc omnipotentiam! Sed forsân ipsum aurum aut opulentia dicitur omnipotens, vel in præmium opulentia bene acquisitæ et expense, vel in acerbam punitionem adversus malè paratæ et pejus concervatæ. Exempla in utramque partem passim extant luculenta, et evangelicis quoque parabolis illustrata; quæ, quòd satis obvìa sint, brevitatè studio hic omitto.

Ceterum quoad litteram his verbis Eliphaz Jobi Dei contra inimicos protectionem pollicetur, quemadmodum in Exodo habetur; cap. 25, 22: Quòd si audieris vocem ejus (scilicet angeli tutelaris), et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. Aliqui ex Hebræo, pro, contra hostes tuos, vertunt rupes tua, hoc est, munimentum, præsidium et quasi castellum in vivo saxo edlitique positum, uno verbo *ἰσχυρότης*, ad quam he alati quidem milites possint penetrare. Bene quippe tutus ab hostibus erit is, cujus munimentum aut robur Deus est. ARGENTUM CONCERVABITUR TIBI. Septuaginta sic expriment: Purum reddet te tanquam argentum examinatum igni. Profectò puritas hæc similis argento expurgato pretiosissimus thesaurus est, quò justus homo dicitur. Sive ergo argentum proprium cum Vulgato, sive metaphoricè cum Septuaginta interpretibus intelligamus, sic textus exponendus, q. d.: Deus arcebit inimicos tuos, quocirca argentum tuum bene tutum erit.

VERS. 26. — IUNC SUPER OMNIPOTENTEM DELICIAS AFFLUENS, ET ELEVABIS AD DEUM FACIEM TUAM (1). Nequè verò exiguum est penitentia hoc bonum, sed illustrè Numinis beneficium, quòd obscenâ lingua, evolens in altum, et pericula evadimus, ubi mira deinde juvenilitas occurrit. Qui enim è peccati leihargo, in quo jacebat consopitus, excitatur, et Deum placat, bono conscientia testimonio è perenni Dei fonte quasi rivum lictile intimos animæ recessus perluculentem interdum excipit, et castis deliciis affluit, quas cum bonis mundi universis minimè commutat. Cui sciam

(1) Sistes te coram Deo audacter et securus; addebisque oculos coram illo extollere, minimè terrente conscientia: ad illum accedes, certus fore ut votorum tuorum compos fiat. Hæc phrasis, *elevare faciem*, communiter usurpatur pro, coram aliquo se sistere securâ fronte, acceptum illi esse et amicum, etc. (Calmet.)

rei fidem adstruit mutatus animum plurimum, qui experientia didicerat se, postquam confessione sacrâ virus peccati evomeret, percipere nescio quid inimmum, sublime, castum, lenè, suavè, quòd tametsi exprimerè nesciant, benè tamen animadvertunt cœlestè quiddam esse, quòd vanis mortalium gaudiis præponendum sit. Virtus enim incredibilem animi voluptatem ingenerat, ut è contra scelus angorem turbulentum et pungentes curarum molestias, quæ diurnam et nocturnam quietem penitus exhauriunt. Comes enim sceleris est mala formido, et conscientia horror, et impendens pœna metus, ut Tantalò saxum. Gravissimè Tertullianus, lib. 4 contra Marcionem, cap. 47: «Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sui.» Sod divinius eà de re habemus oraculum: Semper saxa præsumit perturbata conscientia, inquit Sapiens, cap. 47, 41. Contra gessit et lætatur virtutis studiosus, et mirum quantum intimo in animo consolatione perfunditur. Quæ varietas in elyseo poetico auro expressa mihi videtur, in quo Vulcanus elegantissimo artificio urbes duas edificaverat, in quarum unâ sunt convivia, Festus et Hymen, et triphidia, et cantus, telarumque festâ luce nitentium magna copia; in alterâ verò bella, contentiones, rapinæ et pugnae, ululatus luctusque audiuntur et gemitus. Imago est utriusque animæ tum gratiæ ornatæ, tum vitio deformatæ; in illâ est leta et profunda pax, cantique et choreis velut divinis plena sunt omnia; in hæc vario dissonoque strepitu et tumultu ac concursu molestissimarum difficultatum omnia miscentur.

Atque ut è sacris potius quam ab Homeri ingenioso commentu nostra illustretur oratio, si licuit erudito poete fingere choros et pœanes, et lucernarum accensione, et *ἀκρίβεια*, hoc est, maguilicæ et apparatusimâ conviviâ, ad animi lætitiæ et alacritatè vitæ innocentiæ exponendam, paria propè vetustior musis amicus ait Salomon, Prov. 15, 15: *Secura mens iuge convivium*. In hoc convivio defæctatum vinum est germinans virgines et honestissimas cogitationes; ubi non tibia strepit, non cinyra ludit, non chelys resonat, sed gratia modos facit, virtutes succinunt humanissimâ symphonâ, cor justî liquidâ pace gaudique vestitur. De laudes in eo celebrantur cantu lato jubilantibus conscientia, unde tanta exoritur animi lætitiâ, ut justî et puri à peccato semper ovare et triumphare quodammodo videantur. Quare propheta plus ita invitât, Psal. 51, 11: *Gloriamini, omnes recti corde*; apud Septuaginta est, *ἠγαλλήσεθε*, quòd victorum et triumphantium est proprium, qui, fractis domitisque hostibus, tripudio quodam gestunt, cantu et lætitiâ efferrunt; hilarèque frontem explicant. Ex quo efficitur quòd subditur:

ET ELEVABIS AD DEUM FACIEM TUAM. Eminent in facie quoddam conscientiaè iudicium, quòd non à Deo tantum animorum inspectore cernitur, sed à viris quoque rerum internarum consultis prudenti conjecturâ deprehenditur. Conscientia inculpata faciem serenam, hilarè nitidamque creat; fedata verò squalentem,

obscuram, dejectam; hanc non audent peccatori Deum sublevare, quem prodi; illam justus confidentiâ multâ erigit, et gaudet. Detersâ ergo caligæ fœditate, ait Eliphaz, *elevabis ad Deum faciem tuam*.

Sensus hic noster versione septuaginta Interpretum confirmatur; *Deinde fiducialiter ages coram Domino, inspicies caelum hilariter*. Hæc est enim illustris prærogativa virtutis, quam acutè Philo Græcè *ἀπειρί* nominatam esse vult ab *ἀπειρία*, quòd in altum erigere significat; attollitur enim, inquit, et fertur in sublime coelestia semper medians; quemadmodum *καθ' ἄνω ἵσταται*, quòd deorsum vergat, et deditos sibi deprimat. Itaque D. Gregorius Nyssenus, lib. de Virginitate, cap. 18, virtutem elegantissimè vocat *rem expeditam*, quæ in sublime feratur; nam terrenis voluptatibus exutum, evertentem ab humilium rerum cupiditate Deo amabilem efficit, ut conciliatrix divinae benevolentia, et cœli proxenetria, ut gloriæ admissionalis. Justî omnes et gratiâ nobilitati sunt regi pueri, et filii regni, et principes natî ad imperandum, quibus Deus, ut idem Nyssenus ait Gregorius, pro purpurâ dedit virtutem. Hoc honoris paludamento exultus ornatusque ad Dei amplexum admittitur, hunc charum habet, hunc amore et familiaritâte suâ dignatur.

Allegoricè S. Gregorius lib. 16 Moralium, cap. 10, versum hunc exponit de deliciis quæ ex divinis Litteris hauriuntur, dùm ait: «Super Omnipotentem deliciis affluere est in amore illius Scripture sacræ epulis satiari; in cuius nimirum verbis tot delicias reperimus, quot ad profectum nostrum intelligentiâ diversitates accipimus, etc. Non ait ad curiositatem, sed ad profectum, illa enim mandanda in Scripturarum cultore est, omnia in istum referri debent; probe istæ deliciae, sed ad probitatem etiam dirigenda.

Expende autem illud, *super Omnipotentem*, ut deliciarum ubertatem ac multitudinem colligeremus, nec aliunde esse querendas quam à Deo, et in Deo. Etiam sponsa sponso ininitabatur, deliciis delibata (nam Cant. 8, 5, *ascendit de deserto deliciis affluens, imixa super dilectum suum*) affluetab deliciis, quæ non diffulerunt, ac facillè laberentur, quales seculi sunt, quæ cito pereunt, et perire amatores suos faciunt. Rectè verò non deliciis amans hæc anima nitetur, sed dilecto. Solida hæc sanctitas est et firma, non illarum, quæ spiritualibus blanditiis ita nituntur, ut sine illis cadant, et à sponso recedant. Cetera hæc sanctitas vitæque. Malè inmittitur qui deliciis ininitur, non dilecto. Ceterum modò nos in Deo exiliandistatim exprimitur, ut nimirum ipsum invocemus, et ab eo exauditi vota nostra illi reddamus. Unde subdit:

VERS. 27. — ROGABIS EUM, ET EXAUDIET TE, ET VOTA TUA REDDES (1). In bonam et valde utilem gaudii illius declarationem. Hinc igitur nobis incipiendum

(1) Des vœux que vous aurez faits pour obtenir les choses que Dieu accordera à votre demande, C'est dans le même sens que Virgile dit (*Ecl. v. 80*) *Damnabis tu quoque votis*, pour dire: Vous aussi aurez le

est, scilicet ab invocatione Dei nostri, à qua nisi actionum nostrarum initium fecerimus, omnis ordo pervertitur. In hoc itaque potissimum ad Deum nostrum debemus, ut in rebus omnibus ad Deum nostrum confugiamus, cognoscentes ipsum esse omnis boni fontem, à quo nobis esse, vita, salus et omnia. Multum sanè profecerimus, si doctrinam hanc fideliter tenuerimus, ut eam ad usum ut par est revocemus, profitentes corde et ore bona omnia quæ accipimus in ipso et ejus manu esse, tum ejus unius esse illa nobis dare. Sed notandum est nobis, cur Deus tam liberalis sit erga nos, et tam facilis ad nobis optulandum; ut nimirum ipsi vota nostra reddamus, hoc est, gratiarum actione nos ipsi penitus obligatos profiteamur. Hoc enim vocabulum *voti* innuit tanquam testimonium solemne, quod homines dant, ostendentes se nihil habere nisi quod sibi supernè datum est, seque parè Deo gratiam referre non posse, nec habere aliud quod rependant præter laudes et gratiarum actionem; quam solam Deus exigit, eaque contentus est.

Atque hoc est quod David ait, in Psal. 49, 12: *Innotula Deo sacrificium laudis*. Quid est sacrificium laudis? Respondet D. Basiliius *sacrificium glorificationis*, cum scilicet omnium bonorum nostrorum laudem et gloriam in ipsum tanquam in eorum auctorem referimus. Videtur David alludere ad sacrificia quibus thus lucissimum admisceri Deus jussit, ut in honorem ejus cremaretur, dum interim carnes victimarum in sacrificantium utilitatem cederent; nec pacto insinuans, solam laudem et gloriam sibi in sacrificiis reservari; unde in tantum sacrificia præcipiebant et acceptabant, in quantum illa ad ipsius laudem et gloriam referabantur. Repletis ergo sacrificiis, quæ videri poterant offerri, quasi quibusdam Deus indigeret, sicut ea gentium Diis hominibusque offerri solent, et solummodo requirit sacrificia, quibus testatur omnia nobis à Deo provenire, nosque donis ejus indigere, qualia sunt sacrificium laudis, et vota quæ pro perceptis ad percipiendis beneficiis Deo persolvimus, illumque in necessitate nisi precibus invocamus.

Similis est locus alterus Psalmi, 21, 26, ubi ait: *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*. Item, Psal. 115, 15: *Vota mea reddam coram omni populo ejus*. Alludit autem ad sacrificium pacificum in periculis arduisque negotiis voveri solitum, quod votis potius suis solvebant invitatis ad hoc amici, ut ex eo simul coram Deo in lætitiâ epularentur. Pollicetur ergo Domino se gratitudinis signa editurum persolvendo vota, quæ in extremis angustiis nuncupaverat, idque non sine sollemnè pietatis exercitio, cuius et alii amici sint particeps cum singulari fructu et gaudio. De hisdem votis alibi quoque Psalmista loquens:

peuvent d'accorder des grâces aux mortels. Chez les païens celui qui obtenait ce qu'il avait demandé après avoir fait un vœu, c'est-à-dire, après avoir promis un sacrifice ou un autre acte religieux, devenait *voti reus*. Le faux dieu qui était censé avoir accordé la demande condamnait au vœu.

(Drach.)

In me sunt, inquit, Psal. 53, 12, *Deus, vota tua*. Quid est: *In me?* Intra meipsum, apud meipsum: Quæris quid reddas Deo? «An fortè animam (inquit S. Augustinus ad eundem Psalmi locum) quæ offerreban- tur ad aras aliquando? Nihil tale offeras; in te est quod voveas et reddas. De cordis arcâ profer laudis incensum; de cellario bonæ conscientie profer sacrificium fidei. Quidquid profer, accende charitate. In te sint vota quæ reddas laudis Deo.» De teipso profer teipsum, voluntatem tuam; cor tuum. In te enim sunt vota quæ Deo reddas.

Si voti nomine intelligas, quod communi sensu intelligimus, desiderium, aut rem concupitam, idem erit: *In me sunt, Deus, vota tua*, ac si dicat: *In meipso, intra meipsum sunt, Deus, quæ tu exoptas et concupiscis, quæque à me exigis, qui non externa appetis, imò neque accepta habes sine internis.* «Holocausta, et victimæ, et sacrificia Christianorum (inquit S. Chrysostomus, hom. 11, in Epist. ad Hebræos) sunt opera sancta, ut elemosynæ, temperantia, orationes, laudes Dei.» Nullus ergo hostiam offerat nudam, cui semetipsum non adjungat. Quo sensu etiam sanctus Gregorius, Homil. 5, in Evangelia locum eundem exponit, «ac si aperte dicat: Etsi exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio, quod in arâ tuæ laudis impono, quia qui nostrâ damnatione non pasceris, oblatione cordis melius præcari. Nihil quippe offertur tibi bonâ voluntate.» Ecce veram nos in Deo nostro exhilarandi rationem, quam sequenti versu prosequitur.

VERS. 28. — DECERNE REM (1), ET VENIET TIBI, ET IN VIS TUIS SPLENDEBIT LUMEN. Ipsum, inquit, Deum presentissimum senties; statim quippe ac oraveris, aderit, votumque pro te impetranda conceptum letus exsolves; quin etiam ad te tibi optulabitur, ut quid quid agere constituas, aut cogitatione decernas, ex animi sententiâ succedat, et opera tua semper prospera clarescant. Ultrò enim sese Deus offeret, et obrudet quasi invalido et infirmo tibi opem auxiliamque suam, et subito ad vocem et orationem accurret. Quam luculentam Numini providentiam et charitatem in nos suam cogitatione animi majorem Dei Filium in Evangelio expressit illâ amicæ et paternâ invitatione, Math. 11, 28: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis*, etc. Sed illius beneficentiæ magnitudinem illustri planè oraculo Isaiæ mihi semper vis mirabiliter ostendisse, in quo herere meditando et laudando omnes conveniat. Neque enim misericors Pater, qui providentissimè consulere hominum vitam et salutem solet, expectat, ut vel preces adhibeamus, sed prævenit conatus nostros, quemadmodum clarissimi orati vatis pollicetur, Isaiæ 63, 24: *Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam*. Quo ex loco, ut alia multa, è divinis Oraculis vetustis, credo, sapientes et profanae theologie mystagoga-

(1) Optabis.

IN VIS TUIS SPLENDEBIT LUMEN, aderit actionibus tuis divinus favor, qui te resque tuas prosequatur.

(Menochius.)

gi Apollinis illud effatum prompserunt, quod Lacedæmonis datum voluit, Καλοῦμαι, ἀξιολογῶ, Θεῶ; παρῖστα, vocatus et non vocatus Deus aderit.

Regius propheta David in odis suis illam quoque inexplicabilem atque exitimam Numini bonitatem hominibus subventientem mirè celebravit, cum ait, Psal. 9, 17: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus; addiditque ad rem illustrandam: Preparationem cordis eorum audivit auris tua*. Pictura planè mirabilis, facit Deum cupidissimè aures ad car admoventem, ut intelligat, si vel tenuissimum sit animi motus et propensio in bonum. Nam priusquam erumpat cor in votum atque preces, amantissimus Deus advolat, tendit manum, opitulatur, ipsam preparationem cordis, sive, ut Symmachus vertit *ἡχοῦτον προpositῶν*, *inchoatum propositum* embryonemque voluntatis, vel, ut exponit Beda, bonam affectionem percipit auris divina. Denique vocatus et non vocatus adest Deus. Quæ magnifica et divina pollicitatio non demoni illi veteri honorum inimico, sed liberatori Deo et vindici mortalium propria est; in cujus beneficentiæ miraculo exclamavit sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. 4: «O miram beneficentiæ celeritatem! appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco habet; sicut sitiri, bibere cupientibus potum præbet; cum ab eo beneficium petitur, benedictio id ducit, etc. Similiter S. Bernardus, serm. 9 in Cantica, prævenientem hominum vota Deum et humanissimè antevertem miratur, et incredibili animi suavitudine præcari: «Non vocatus, inquit, adiuit, et delectatus verbis prævenit preces; arbitror quòd interdum nec verba expectat, sed solis cogitationibus advoctetur, et Id discretè significant illa verba: *Decerne rem, et veniet tibi*, hoc est, omnia que efficere constitueris, ad votum cedent. Quæ profectò ampla pollicitatio est.

VERS. 29. — QUI ENIM HUMILIATUS FUERIT, ERIT IN GLORIA; ET QUI INCLINAVIT OCULOS (1) IPSE SALVABITUR. Hoc Eliphazi pronuntiatio simile est isti Evangelico, Math. 23, 12: *Qui se humiliat exaltabitur*. Humiliatus nimirum à seipso, vel ab alio æquanimiter dejectionem sustinens, exaltationis fastigium ascendit; et si oculos præ humilitate demiserit, infimumque locum, ubi se constituit aspexit, in præmium non quemcumque honorem, sed illum magnum et nunquam destitutum æternæ salutis accipiet. Hanc enim oculorum demissionem pro signo humilitatis poni docet S. Gregorius, lib. 46 Moralium, cap. 11, uti vicissim oculorum elationem evidentissimum esse superbiæ argumentum, dicens: «Quia quantum per cœnabratorum ministerium deprehendi potest, prima superbiæ ostensio esse in oculis solet; hinc enim scriptum est, Psal. 17, 28: *Et oculos superbiorum humiliabis*. Hinc de ipso superbiæ capite dicitur, Job 41, 25: *Omne sublime videt*, etc. Rem hanc esse odiosissimam vidit Sapiens, et magnâ sermonis

(1) Id est, qui se humiliaverit, ipse salvabitur. Ita Chaldaeus et Septuaginta, id est, ab omnibus malis quibus affligebatur, eripietur.

(Menochius.)

auctoritate condemnat celestem istam nationem, quæ oculis sublimis elatis inflati animi pompam tumoremque demonstrat. Notanter verò in Proverbiis superbi oculi sublimis dicuntur ad hunc modum, cap. 6, 16: *Sex sunt quæ odit Dominus, oculos sublimis*, etc. Ubi Septuaginta legunt, *oculos contumeliosi*, pulchre explicant, quò potissimum habet sublimem oculorum elatio eat, ut videlet alios despiciant, contemnunt, et contumelias afficiant. Quod superbiorum ingenium est, sicut è contra humilium (ut loco citato S. Gregorius ait) «oculos inclinare est nullum respiciendo despiciere, sed se minorem atque imparem cunctis quos aspici æstimare. Salvabitur itaque qui oculos inclinat, quia qui falsum superbiæ verticem deserit, «veritatis altitudinem ascendit.» Sic ille. Hanc autem humilitationem verè exaltationis fontem et causam esse fusè ac pulchre probat Pater Alvarez de Paz, tom. 2, lib. 4 part. 1, cap. 9, et alii passim Asectici scriptores, ad quos, ne justo prolixior sim, remitto lectorem.

VERS. 30. — SALVABITUR INNOCENS, SALVABITUR AUTEM IN MUNDITIA MANUM SUARUM. Hebræo hoc loco habent: *Salvabit innocens insulam vel provinciam*, q. d.: Tanti meriti est apud Deum innocens vita iustorum, ut non se solos, sed et totam regionem salvent ac liberent, sicut Joseph Ægyptum, Moyses, Josue, et toti pii iudices totum populum Israeliticum. Chaldaeus tamen et Rabbi Jona cum nostro vertunt: *Salvabitur innocens vir*, quasi «*si significet non insulam, sed virum, fortè licentiâ poetica ablatò ἡ ex isch, sive ob rhythmum, sive ob compositionem et conjunctionem cum sequenti voce per maccaph. Quid autem sit, et in quo sita sit vera innocentia, vide quæ dicta sunt cap. 1, vers. 1.*

SALVABITUR AUTEM IN MUNDITIA MANUM SUARUM. Utilis quidem putatur, et meritò, mundities corporis, quæ et salutis naturalis est necessaria, et sine eâ in publicum prodire et cum hominibus conversari vix possumus; verum de illâ hic non agitur, sed de animæ munditiâ, quæ eam à peccatorum fecibus liberat, et à sordibus vitiorum expurgat. Nam nemo est tam ignarus, qui putet hominem manuum corporis munditiâ salvari. Unde sensus est, innocenter propter operum suorum bonitatem esse salvandum, quia, ut S. Gregorius, lib. 16 Moralium, cap. 11, ait, «illam in extremo examine justitia æterni iudicis salvat, quem hic ejus pietas ab immonditiâ operibus liberat.» Virtutes igitur actiones munditiæ sunt, quibus et salutem mentis adipiscimur, et sine rubore cum Deo et angelis conversamur. Proptereaque scriptum est, Prov. 32, 11: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam laborum suorum habebit amicum regem*, illum scilicet regem, qui per cuncta secula regnat in cœlis, et non nisi à mundis corde conspiciatur. Fructus ergo illius munditiæ præstabilissimus est, quem votis omnibus et contentione debemus appetere, quòd viam pandat ad Deum et jucundam illius familiaritatem, quæ impuris sordidisque negatur. Divinè Chromatius in cap. 5 Matthæi: «Munditia cordis

